

1474 lianam pugnatum memorant, quam Mocenicus in provinciam venisset.

Dum hæc autem circa fluvium geruntur, barbarus die noctuque muros urbis, ac privata tecta termentorum ictibus quatiebat. Erat tum oppidi prætor, ac totius provinciæ legatus, Antonius Lauretanus, homo invicti animi, qui præsentis consilio omnia circumspicere, qua muros confectos, & ad ruinam jam pronos videbat, crassissimo aggeri interiore parte firmabat; dolia vinaria ruderibus reposita, aggeri pinarum loco imponebat. Et jam obsidio, quæ circa majas idus cæperat, plures dies tenuerat: quum Lauretanus, misso per stationes hostium adolescente, Venetis ducibus significat: etsi ipse & alii bono essent animo, nec non parati diutius obsidionem ferre, tamen quia belli eventus dubius esset semper, viderent ipsi si qua ratione possent, ut omnino subsidium aliquod urbi ferrent. Tentarunt Triadanus & Mocenicus id Lauretano præstare per Leonardum Buldonium & Joannem Cernovium: qui paratis pedestribus copiis, & classe in lacu non invalida, quia omnia hostis præsidio firmarat, conferto prælio, re infecta cesserunt. Et quia campos ab hoste infestos, & circa flumen qua Scodram annavigandum erat, omnia præsidiis firmata videbant, apparebatque majoribus omnino copiis, & imprimis ingenti opus esse equitatu, si invitis hostibus ad urbem penetrare vellent, omni spe in oppidi situ, legati-que & oppidanorum virtute reposita, imperatores ab omni majore conatu in præsentia abstinerunt. Triadanus interim & Bembus legatus ob palustre cælum gravi morbo laborare cæperunt: nec ipsi solum, sed tota fere classis jam affecta jacebat. Illi procurandæ valetudinis causa Catharum se contulerunt: Mocenicus (quanquam nec ipse omnino incolumis erat) Scodrinæ tamen oppugnationis exitum cum Maripetro legato expectare statuit. Barbarus interim, prostratis Scodræ mœnibus, nunc minis, nunc hortationibus, aliquandiu tentavit Lauretanum ad deditionem compellere; a quo cum nihil pacati redderetur, cratibus oppido pluteisque admotis, quibus sui tutius munitiones subi-